



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Synodus Nicæna II. Generalis. Sub Hadriano papa I. anno DCCLXXXVII.

Parisiis, 1644

Historia Concilii Nicaeni II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15473



H E N N I K A I A
T O Δ E Υ Τ Ε Ρ Ο Ν

Α Γ Ι Α Κ Α Ι Ο Ι Κ Ο Υ Μ Ε Ν Ι Κ Η
Ε Β Δ Ο Μ Η Σ Υ Ν Ο Δ Ο Σ .

SANCTA SYNODVS
NICÆNA SECVND A,
GENERALIS SEPTIMA.

HISTORIA CONCILII
NICÆNI II.

ANNO
CHRISTI
787.



IN Arabia fuit, imperante Leone Isaurico, Iudæus quidam Sarantapechys * veneficus ac præstigiator insignis. Is ut odium iamdiu conceptum aduersus Christianos exaturaret aliquando, Exidum Arabum regem, cuius leuissimum esse norat ingenium, adit: vaticinandi illi artem ostentat, diuturnum spondet imperium, si ex Christianorum templis, totiusque regni sui finibus sacrosanctas imagines detrahat. Homo vanissimus vanissimum vaticinium haud surdis accepit auribus. Imagines omnes, siue in templis, siue in foro essent, reuelli ac perfringi iubet. Cumque imperata facere nolent Christiani satellites, Hebræi atque Arabes alacriter perfecere. Ceterum fallax vaticinium nulli magis, quam vel vaticinanti, vel obsequenti fuit exitio. Nam
Concil. Tom. 19.

* Sept. Syn.
act. 5. Aucl.
hist. misc. lib.
21. Zonar. &
Cedren. in
Leon.

A

Et rex ipse post sesquiannum interiit, & Vlidus eius filius atque heres Hebræum vatem, ut patris interfectorem, de medio sustulit. Euerfarum imaginum atque inaudite impietatis fama Christiani nominis prouincias breui peruagata est, omnibus tantum facinus execrantibus. Quamquam in quorundam animis male alioquin affectis facile facti huius exemplum & crimen insedit, ^b imperatoris potissimum, & ^c Constantini, qui Nacoliæ erat episcopus: sed & utrique non leue calcar accessit ex consuetudine cuiusdam ^d Beseis, qui ex Christianis ortus parentibus, cum captiuus in Syriam esset abductus, ex Arabum consortio Mahometanis superstitionibus imbutus est. Tum libertate donatus, cum ad Romanorum ditionem rediisset, primo familiariter egit cum Constantino, deinde se in gratiam imperatoris penitus insinuauit. Beseis & Constantini suasionibus incitatus Leo, ac multo magis adactus iureiurando, quo id sponderat Hebræis ^e quibusdam, qui ei prædixerant imperium, detestabile bellum sacris indicit imaginibus: neque eas ex templis tantum & priuatis ædibus deiicit & abradit, sed etiam peruetustæ magnæque religionis statuam Saluatoris, quæ ad æneam Vrbs portam in excelsio illustri loco diutissime steterat, vi ferroque deturbat. Stomachantur qui aderant: percellitur tam acerbo nuntio ciuitas: ad ^f arma concurritur: regii discerpuntur apparitores & administri. Fremit imperator accepta iniuria, & natura ferox ac truculentus ferinam exardescit in rabiem: publico edicto omnem imaginum cultum abrogat, cultoribus interdicit aqua & igni: alios spoliatione bonorum multat, alios in exilium eiicit, aliis abscindit manus, alios crudeliter ingulat, totam denique rempublicam velut immanissimus vere leo lacerat & cruentat. Aggreditur dein sapientissimum ^g doctorem, cui & præstans omnium disciplinarum scientia, & spectata morum integritas, & duodecim contubernaliū modestia, quos ecclesiasticorum diuinorumque institutorum collegas & socios habebat, venerationem apud omnes iustissimam conciliauerat: ut eos non modo permulti doctrinæ ac sapientiæ causa conuenire solerent, sed ipsi etiam imperatores in rebus gerendis consulerent. Hos igitur Leo disputationibus primo & priuatis colloquutionibus in suorum errorum sentinam pertrahere studet. Verum eorum deinde inuicta constantia repulsus, inclusos in ædes eis ad habitandum attributas, una cum instructa bibliotheca, noctu imperat concremari. Sanctorum præterea de-

^b Auc. hist. miscel. loc. cit.
^c Germani ad Ioannem epist. in Syn. 7. act. 4.
^d Auc. misc. vbi sup.

^e Cedren. & Zonar.

^f Hist. misc. & Cedr.

^g Zonar. Ced. & hist. misc. vbi sup.

ANNO
CHRISTI
787.

preca^ones irridere, loculos perfodere, reliquias sædare, neque
homines, neque Deum vereri. Nec erat qui efferato Leoni sese au-
deret obiicere, præter unum Germanum Constantinopolitanum
episcopum, cuius eximiam sanctitatem, venerandam canitiem,
& singularem in conseruandis ouibus vigilantiam colebant u-
niuersi. Lugebat is calamitatem ecclesiæ, & quacumque ratione
poterat imperatoris impetum retardabat. Scripsit etiam ad Con-
stantinum^h episcopum tot scelerum & conscium & auctorem:
hortatur ut ab incepto desistat, suæ suorumque saluti prospici-
at, redeat ad maiorum traditionem. Subdole simulat ille esse se,
qui non erat: versuteque rescribit, daturum se operam deinceps,
ut dicto factore offendat neminem. Missis etiam ad alios epi-
scoposⁱ literis, Germanus vehementer eos rogat, ut fidem a ma-
ioribus traditam retineant. Has ob causas Germanum imperator
grauiter oderat, erumpentem tamen iram premebat, veritus eius
insignem virtutem, magnamque de eo orthodoxæ plebis existi-
mationem. Ergo^k accersitum blande compellat, ac, velut aliud
agens, accusat superiorum temporum imperitiam, & sacerdo-
tes, qui fatue populos imaginibus colendis adduxerant. Sapien-
ter Germanus furentem demulcere studet: explicat eius rei uti-
litatem. & ecclesiæ consuetudinem ab apostolis usque dedu-
ctam. Hic vero excanduit imperator, atque antistitem minis
& contumeliis oneratum regia expulit. Nec pepercit^l Joanni
Damascono humanarum diuinarumque rerum eruditione flo-
rentissimo. Etenim ei, quod de religioso imaginum cultu non mi-
nus pie quam docte scripsisset, dextera eiusdē Leonis opera &
fraude a Saraceno principe præcisa est; quam tamen diuinitus
restituit clementissima Dei mater, ad cuius ille imaginem, velut
ad sacram anchoram, piis sletibus & supplici fide confugerat.

Gregorius secundus Romanus pontifex cum ea quæ Constan-
tinopoli gerebantur, acerbissime ferret, coacta Romæ^m Synodo,
eo studio quod pastorem ac patrem decet, per literas imperato-
rem commonescit, desinat aliquando ecclesiam persequi: non
esse imperatoris partes de diuinis sacrisque rebus iudicare, mul-
to minus apostolicas traditiones, quas omnes vetustas pie sem-
per est ac sancte venerata, conuellere. His aliisque salutaribus
monitis restitit Leo: aspidem surdam potius quam hominem
diceret. Germanum quoque imperator Constantinopolitano dei-
cit throno, Anastasium sufficit hominem scelestissimum. Quocir-
ca illum tandem Gregorius pontifex & apostolici anathematis

Concil. Tom. 19.

A ij

^h Hist. misc.
Cedren.

ⁱ German. in
epist. ad Ioan.
& Thomam in
VII. Synod.
act. 4.

^k Auct. misc.
& Cedren.
in Leon.

^l SURIUS TOM.
3. in vit. S. Ioan.
Damasconi.

^m Hadrianus
papa primus in
epist. ad Caro-
lum, & ad im-
per. Greg. se-
cundus in epist.
1. & 2. ad Leon.
auct. hist. misc.
Cedr. & Zon.
vbi sup.

mucrone vulnerat, & Italiae spoliat imperio, abactis interceptisque Italorum annuis vectigalibus, quæ ad id tempus principibus Constantinopolitanis pendebantur. Leo vero ingentem classem, qua & Gregorium & Italiam diuexaret, instruxit; cui suppeditari sumptum iussit ex censu per capita Siculis & Calabris imposto: ecclesiæ vero Romanæ patrimonium, quod in his erat prouinciis, in suum retulit ærarium. Sed ultor tot facinorum Deus immanis tyranni classem magnis iactatam procellis, ad litus Adriatici maris obtriuuit.

* Anaf. in
Greg. tertio.

Gregorio secundo tertius succedit: qui ut laboranti ecclesiæ afferret opem quam posset, ad Leonem mittit Gregorium^a ecclesiæ Romanæ presbyterum cum mandatis apostolico munere vigilantiaque dignissimis: quæ tamen is imperatori non reddidit, quippe eius primum minis deterritus, deinde fraudibus elusus, denique annuo damnatus exilio. Cuius rei indignitate commotus pontifex, euocatis in urbem episcopis quam plurimis, ante B. Petri confessionem, tota approbante Synodo, oppugnatores imaginum ab ecclesiæ communionem, ut pestem ac perniciem Christiani orbis, exsecuit. Postea iterum conatur Leonis animum delinire, missis per Constantinum defensorem epistolis. Verum is tabellarius in vincula coniectus, & diuturno fœtore ac fame cruciatus, vix tandem imperatoris manus effugit. Multis tum calamitatibus tamquæ telis e caelo missis Leonis res accisæ sunt. Nam^o ciuitatum defectionibus & armis turbata fides erga imperatorem; ex pestilentia & belli cladibus miserabilis vastitas consecuta: sed nihil horribilius terræmotu, qui duodecim^o menses regiam concussit urbem, prostratis non modo priuatis ædibus, monasteriis, templis, sed etiam publicis mœnibus. Quorum cum nihil Leonis amentia mederi potuisset, tandem diris afflictatus torminibus, inter angores & eiulatus impiam animam exhalauit. Leoni successit filius Constantinus, quem Copronymum propterea cognominarunt, quod^a cum baptismo infans expiaretur, sacrum lauacrum inquinarit. Eo portento territus Germanus patriarcha prædixit, rempublicam & ecclesiam huius aliquando flagitiis polluendam. Prædictionem comprobauit euentus. Nam si flagellis Leo, scorpionibus Copronymus cecidit ecclesiam, homo natus ad euertendam omnem, quod in ipso fuit, religionem; sacrarum rerum & ceremoniarum, quarum pius cultus in Dei cultum redundat, contemptor impudentissimus; ludis circensibus, victimis exsecandis, euocandis malis genis ac

* Cedr. & Zonar. in Leon.

† Auc. hist. miscel. in fin. lib. 18.

† Cedr. in Leon. & auc. misc. lib. 21.

ANNO
 CHRISTI
 787.

manibus, aliisque id genus veneficiis apprime deditus. Qui ut sui principatus initia bonis videlicet auspiciis consecraret, generali statim vetuit edicto, ne quis aut eos, qui religiosissimo Dei famulatu excelluerunt, sanctos cognominaret, aut eorum reliquias veneraretur, aut tamquam patronos ac deprecatores imploraret, quod eos nihil posse diceret, ne deiparā quidem virginem, quam ne illo quidem cognomine voluit appellari. Quin etiam sumptis in manus aliquando oculis auro plenis, ex iis qui aderant, sciscitatus est, quanti eos aestimarent. Cum responsum esset, magni; vacuos eos deinde ostendit, percontatus, quanti eos licerentur. Cum responsum esset, nihili.¹ Ita (inquit) Maria quoque, dum Christum gestavit utero, in honore fuit; postquam eum peperit, nihilo ceteris mulieribus præstitit. Eam igitur impietatem ciues grauiter ferentes, Artabasdum Curopalatem, Copronymi affinem² e sororis coniugio, qui contra ipsum Copronymum arma sumpserat, imperatorem designant; Beserem tot malorum auctorem atque incitamentum trucidant, sacras imagines suis restituant locis, Copronymum anathemate conuiciisque proscissum exuunt imperio, eiusque loco Curopalatem Augustum consalutant. Verum supra gratulationis huius breuissima fuit. Collectis enim mox viribus Copronymus urbem terra marique obsedit, eaque in deditiōnem compulsa, Curopalatem etiam in suam redigit potestatem, eique oculos effodit; filios autem grauib; iactatos ærumnis, capite damnat, ne quis ex tam illustri familia veræ religionis vindex relinquatur. Crudeliter etiam desæuit in perduelles ceteros: aliorum fortunas prædam militibus exposuit, alios patriis expulit sedibus; alios, præcis prius manibus, interemit. At vero, ne qua re rabidis feris esset ab similis, in familiares etiam suæque hæreseos sectatores desæuit, & in his præcipue Anastasium pseudopatriarcham, quem a sella præpostere impositum, & virgis cæsum, & per urbis plateas ludibrio habitum, rursus in pristinum thronum collocauit. Sed paulo post hic ipse episcopus, qui inter concionandū sanctorū gloriam conuiciis proscindere consueuerat, morti proximus, per os egerere sua ipsius excrementa coactus est. Institere tres deinceps³ Romani pontifices, Zacharias, Stephanus & Paulus, totidem Synodis Romæ habitis, literis, cohortationibus, precibus, aliisque remediis perditum hominis curare dementiam. Copronymus vero nec vllum sanctissimis pastoribus honorem habere, nec diuinū numen vereri, nec ignominiiis ullis aduersus sanctos parcere; imo vero, ut suæ sectæ

¹ Zonar. in Constantin. & auct. hist. misc. lib. 21. in fin. Cedren. vbi sup.

² Auct. hist. miscel. lib. 21. Zonar. & Cedren. in Copron.

³ Anastas. in vit. horum pontificum, & Hadrian. in epist. ad Constantin. & Iren.

^u Au^t. hist.
miscel. Zonar.
& Cedren.
vbi sup.

nomen ac dignitatem amplificaret, ^u Synodi cuiuspiam auctoritate CCCXXXVIII. episcopos, quorum antesignani erant Theodosius Ephesi, & Pallas Pergæ, homines audaces & impii, Constantinopolim euocauit: per quos, quæcumque ei libuisset, sine ullo metu statueret. Nihil ea de re actum est cum apostolica sede: nullus episcopus ex catholicis ac primariis sedibus, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, est accersitus: nihil ordine susceptum, factumque; nihil in tanto cætu aliud resonat, quam aduersus imagines impudens ac vesana conclamatio: præscitur ecclesiæ Constantinopolitanæ Constantinus monachus, homo nefarius: decurritur in forum: adest imperator, adsunt & episcopi cum patriarcha Constantino: omnis interdicitur imaginum honor ac veneratio: indigno feriuntur anathemate Germanus, Georgius Cypri episcopus, Ioannes Damascenus, acerrimi propugnatores imaginum. Sed cum Constantinopolitanam hanc Synodum Stephanus pontifex abrogasset Romana ^x Synodo, Copronymus ad suæ Synodi ^y subscriptionem episcopos ac monachos vniuersos adigere conatus est. Verum restitit eorū optimus quisque, nec hominis tyrannidem timuere iam iam piorum ceruicibus imminentem, sed lubentibus animis excepere oblatam sibi facultatem bibendi calicem Domini, & lauandi stolas suas in sanguine agni. Atque inter hos in primis claruere Andreas Calybites ^z eximie pietatis monachus, cui flagrorum vi dirupta cutis est; & dum traheretur per urbem pede amputato, martyrium consummauit: præterea Petrus vir grauissimus, qui vinctis per plateas pedibus tractus, & in mare demersus est: Stephanus eremitarum dux & magister ^a, qui complures annos claustro inclusus traduxerat. Is exemplo prioris Stephani, fustibus & lapidibus toto corpore dilaceratus, & in altissimam foueam inter reos damnatosque proiectus: monachi ^b vero compulsi, pallio & cucullo deposito, mire coniugia, & vitam sordidis artibus tolerare. Tradita militibus monasteria, vt sacri monachatus memoria deleteretur. Sanctorum patrum libri, sacra suppellex & reliquiæ in rogos ac flammam iniecta. Aliquot senatores, clarissimi viri, quod imagines adorassent, durissimis nervis in foro verberati. Adacti denique omnes iureiurando, diraque execratione, nullum se posthac honorem imaginibus habituros. Quod cum pro suggestu Constantinus pseudopatriarcha publice fecisset, vindicem Dei iustitiam non effugit. Nam paulo post, cum Copronymus de abneganda Christi Domini diuinitate cogitasset,

^z Hadrianus in
epist. ad Carolum.
^y Zonar. Cedren. & au^t.
hist. miscel.
vbi sup.

^z Ex act. marty. apud Suerium 17. Octobris.

^a Ex act. marty. Stephan. & sociorum.

^b Au^t. hist. miscel. Zonar. & Cedren. vbi sup.

ANNO
 CHRISTI
 787.

remque patriarchæ credidisset, quod is habere clausa non potuerit principis consilia, iussus est publice virgis cædi, conspui, per urbem raptari, & in sordidissimis urbis locis iugulari.

Tandem Copronymus, tamquam cædibus sacrilegiisque defessus, cum expeditionem suscepisset in Bulgaros, ardentissima febre correptus est Arcadiopoli: utque vitæ exitus antea vitæ esset ultio, pedes illi ardentibus ulceribus, quos carbunculos ab exurendi vi nominant, intumere. Dumque hoc vehementi iactatur æstu, clamat infelix, viuum se inextinguibili igni traditum, ob violatum dei paræ Mariæ nomen & cultum: cumque eam sero iussisset honorifice coli, acerbissimo interitu, ad quæ migraret supplicia, non obscure monstrauit. Successit filius Leo quartus, qui ex Irene^c coniuge Constantinum suscepit. Nec is diu imperauit, minus quidem quam a pietate alienus: imagines tamen perosus, earumque cultores insectatus est: sed per breui defunctus imperio, infeliciter obiit.

^c Auct. hist. miscel. lib. 23. Zonar. & Cedren. in Leon.

Faustis tunc auspiciis Irene^d cum filio Constantino imperare cæpit, catholica religione ac pietate florentissima mulier. Itaque nihil ei fuit antiquius, quam ut religionem, quæ dilapsa iacebat, excitaret, regiamque urbem multiplici iactam anathemate, & a ceteris seiunctam ecclesiæ partibus, ad reliqui corporis concordiam reuocaret. Cum vero Paulus^e abdicato Constantinopolitano patriarchatu in Flori secessisset monasterium, seipsum voluntariis dis cruciaturus pœnis, huius rei causam sciscitantibus imperatoribus respondit; quia Copronymi Synodo, in qua sacras imagines ab ecclesia auferendas inique decretum fuerat, suam adiecerat subscriptionem; & nisi pœnitentiam ageret, æternis se fuisse cruciatibus puniendum. Quo responso permoti imperatores, primum de patriarcha optimo deligendo solliciti, habita, quam par erat, deliberatione, visus est nemo, cui merito Tarasius posthaberetur. Is vero grauissimum detrectabat onus, nec prius urgentibus cessit Augustis, quam fore pollicerentur, ut omni ope atque opera Synodum indicendam curarent.

^d Auct. hist. miscel. lib. 23. Zonar. & Cedr. in Constantin.

^e Epist. Constantini ad Synod. in Synod. act. 1.

Ergo ad Hadrianum primum consilii animique magnitudine clarissimum, & synodicam Tarasius, in qua de imaginum cultu docte ac pie differebat, scribit epistolam. Scribunt & imperatores, communicatisque consiliis rogant, ut Synodus ipsius auctoritate cogeretur, ad eamque de more legatos apostolicos mitteret. Latior pontifici nuntius nullus afferri potuit. Itaque Petrum^f archipresbyterum ecclesiæ sancti Petri, & Pe-

^f Auct. hist. miscel. lib. 23. Cedr. & Zon. vbi sup.

^g Hadrianus in epist. ad Constantin. in 7. Synod. act. 2. & epist. imperator. in act. 1.

trum abbatem sancti Sabæ mittit, qui suo nomine Concilio præ-
sint. Verum Iconomachi, qui diu fuerant in vrbe regia domi-
nati, incredibiles imperitiæ multitudinis^h concursus ac tumultus
aduersus episcopos concitarunt: quam seditionem armatæ ple-
bis cum ne imperatores quidem sedare potuissent, dilata res est.
Cogitatum deinde deⁱ Nicæa Bithyniæ metropoli, quæ ob pri-
mi Concilii maiestatem, & Arianæ pestis euerfionem, in maxi-
mo honore habebatur, tamquam ad hostes ecclesiæ debellandos
diuinitus constituta. Summo igitur consensu Nicæam Synodus
translata est, ^k imperatoribus Irene & Constantino, octauo eius
anno, factumq; disputandi initium octauo Kalendas Octobris,
in ecclesia sanctæ Sophiæ. Intersuerunt cum Tarasio Constanti-
nopolitano religiosissimi duo monachi Ioannes ac Thomas, qui
sedium orientalium locum tenebant; & episcopi CCCL. ^leximii
vitæ eruditionisque præstantia, & archimandritæ multi cum
monachis quamplurimis, qui patrū confessum sanctitatis & do-
ctrinæ splendore magnifice decorabant; clarissimi itidem senato-
res aliquot ab imperatoribus missi: uniuerso autē Concilio paulo
ante memorati apostolicæ sedis legati præsidebant. ^m Perlectis
ⁿ initio imperatorum literis, statim tres episcopi, Basilius Ancy-
ranus, Theodorus Miron, & Theodorus Amori, supplices obtu-
lere libellos ad veniam deprecandam, quod Copronymi Synodo
subscripsissent. Agitata res est in utramque partem, an esset huic
hominum generi parcendum. Clementior demum, & ad igno-
scendum propensior sententia placuit. Quocirca & episcopi alii,
qui in eodem hærebant luto, Hypatius Nicææ, Leo Rhodi, Ni-
colaus Hierapoleos, Gregorius Pessinuntis, Gregorius Antio-
chiæ Pifidiæ, Leo Carpathi, in primis vero Gregorius Neocæsar-
iensis, qui in pseudosynodo fuit antesignanus ac præses, eam
sibi noxam & crimen condonari postularunt. Condonatum est
omnibus, tum qui ab hæresi respicebant, tum qui ab hæreticis
sacerdotio fuerant initiati, permissumque ut (nisi flagitium
aliud obesset) suum quisque gradum ac dignitatem retineret.

Tum recitatæⁿ sunt Hadriani primum ad imperatores &
ad Tarasum literæ, quibus orthodoxorum dogma de colendis
imaginibus explicabatur: deinde ^o synodicæ tum Tarasii ad
patriarchas orientis, tum orientalium ecclesiarum ad Tara-
sium epistolæ, quibus recte de fide differebatur. Horum omnium
epistolis ab uniuersa Synodo honorifice acclamatum est. Ea
vero fides quo fieret illustrior, placuit e sanctissimorum patrum
^p libris

^h Aug. hist. miscel. sibi sup.ⁱ Sept. Syn. act. 1.^k Cedr. & Psel. de 7. Synod.^l Nicolaus epist. ad Michaelen incip. Propo- fueramus.^m In 7. Syn. act. 1.ⁿ Act. 1.^o Act. 3.

ANNO
CHRISTI
787.

P libris deproxi, & in medium proferri aperiſſimas grauiſſimas-
que ſententias, quibus imaginum venerationem magnopere com-
mendant: quippe rem ab apoſtoliſ traditam, vetuſtiſſimo eccle-
ſiarum omnium probatam uſu, & compluribus miraculis illu-
ſtrem ac teſtatam: quæ ſententiæ in Synodo ex optimis auctori-
bus recitatae ſunt. Quapropter conſtantiſſimis omnium patrum
ſuffragiis ſancitum ¹ eſt, ut in baſilicis, aliisque honeſtioribus ¹ Act. 7.
locis Chriſti Domini & ſanctorum imagines collocentur, ad me-
moriã & imitationem virtutum excitandã; atque ut de-
bitis colantur honoribus: cum is cultus ad prototypum referatur,
ut ſanctorum reliquiis ea, quam par eſt, veneratio deferatur. Vt
qui contra ſenſerint, anathematis pœnam luant: epiſcopi vero
& clerici deponantur. Quibus ſanctiſſime conſtitutis, placuit
in medium deferri ſacram¹ Saluatoris imaginem, & ſupplici- ¹ Act. 5. ad fin.
ter procumbentibus uniuerſis, ut ſuorum ipſi decretorum fru-
ctum perciperent, adorari. Viſum eſt etiam de Copronymi fla-
gitioſiſſima¹ Synodo cognoscere: ne quid, unde periclitari poſſet ¹ Act. 6.
piorum ſimplicitas, reſideret. Perlecta igitur eſt in publico con-
uentu, eiſque vaniſſimæ rationes veriſſimis aliis euerſæ; &
quantum ſatis erat, explicatum, diuinarum ſcripturarum te-
ſtimonia, quibus idola gentium redarguuntur, aduerſus ſan-
ctorum imagines ab hæreticis ſtultiſſime detorqueri. Proinde
iuſtiſſimum ſacroſancta Synodus anathema conſtituit in nequiſ-
ſimi illius conciliabuli auctores: nec ſolum in¹ Anaſtaſium, ſed ¹ Act. 7. in fin.
etiam in Conſtantinum ac Nicetam pseudopatriarchas: qui non
aſcenderunt ex aduerſo, neque oppoſuerunt murum pro domo
Iſrael, ſed ſilendo etiam obſequendoque, ſtimulos & ignes
Leonis & Copronymi furiis admouere. Poſtremo Canones XXII.
adiecerunt.

His rite peractis, Tarafius patriarcha, datis ad Hadria-
num ¹ Romanum pontificem literis, rerum omnium quæ geſtæ ¹ Act. 7.
fuerant, rationem reddidit. Hadrianus ² autem eam Synodum ² Epist. Ha-
non modo apoſtolicæ ſedis inuiolabili iudicio comprobauit, ſed ² drian. ad Ca-
conſcripta etiam ad Carolum magnum imperatorem epiſtola, a ² rol.
quorundam criminationibus defendit. Huius etiam ſacroſan-
ctæ Synodi decreta confirmata poſtmodum ſunt ab octauo œcu-
menico ³ Concilio, a Nicolao primo in epiſtola³ ad Michaelem ³ Act. 10.
imperatorem, & a Leone nouo ad Petrum Antiochenum epi- ³ quæ incip.
ſcopum, & ab aliis. ³ Propoſuerunt.